

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequalis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

cum Deo redeundum in gratiam. Standum contra ipsum ex aduerso, & opponendus murus. Ezech. 13. ver. 5. Interponenda sepes Ezech. 12. ver. 30. Sic enim ipse mentem suam declarat, Jerem. 18. ver. 7. Repente loquor. &c. Exemplo sunt Niniuitæ. Jon. 3. v. 10.

Quod si non plane auertatur pœna, paterne tamen agit, nec vltra vires tenet fidelis Deus. 1. Cor. 10. ver. 13. Vide etiam 1. Cor. 11. v. 31. Et Hierem. 30. v. 11. & 46. v. 28. Esa. 29. v. 26. Non autem procrastinanda pœnitentia, ne exardescat furor. Deut. 32. v. 22.

F I N I S.

THEMA XIV.

Deut. 32. v. 39.

Ego occidam, & viuere faciam: ego percuriam & sanabo: & non est qui de manu mea possit eruere.

DISPOSITIO.

Hæc verba pauca pars sunt Cantici illius Mosaiici, quod ante discessum suum ex hoc mundo coram toto Israele recitauit, vt haberet populus sic quasi compendium totius doctrinæ Mosaiicæ. Continet enim hoc carmen commemorationem beneficiorum, quæ Deus contulit Israelitis: & vicissim peccatorum populi, atque ingratitudeis erga Deum.

Quam sequuntur vaticinia, quæ continent comminationes grauissimas, quas exprimit Moses, introducens Deum ipsum loquentem.

Vt autem intelligant Israelitæ, rem serio agi, nec posse ipsos peccantes effugere manum Dei vlttricem, hæc immiscet verba quæ legimus: quibus Dei potentiam, quam nemo hominum vel angelorum possit infringere, insinuat.

Quia autem hæc est vox Dei omnipotentis quam audimus, erunt singula verba accurate obseruanda: deinde etiam quid nos moneant, considerandum.

C

Textus.

Textus Paraphrasis.

1. Ego, inquit, possum occidere, vel mortificare. Tri-
bus autem modis potissimum dicitur Deus occidere vel
mortificare in scripturis.

Primum secundum literam, cum vitam corporalem
adimit & morti tradit. De impiis interdum hoc dicitur. Si-
cut legitur Deus occidisse filium Judæ Ger, quia fuit ma-
lus, Gen. 38. vers. 7. Sic volebat occidere Moſen Exod. 4.
vers. 24. Sed & pios & in genere omnes homines, morti sunt
Pſal. 90. v. 3.

Deinde vero nonnunquam dicitur Deus occidere spi-
ritualiter, quando viues homines per legem sic mortifi-
cat, vt de vita æterna propter peccata sua spem nullam ſi-
bi poſſint facere, niſi aliunde ſubueniatur iſtis. Vt utur
enim lege tanquam malleo confringente Jerem. 23. v. 29.
Sic Rom. 7. v. 4. mortificati eſtis legi.

Tertio, mortificare dicitur, cum præſentiſſimis pericu-
lis mortis obicit & grauiffimis calamitatibus obruit. Vt
Pſal. 44. v. 23. ex quo Paulus id deſumpſit Rom. 8. v. 36.
mortificamur tota die. Et 1. Cor. 6. v. 9. mortificati ſumus,
& tamen viuimus.

Quoquo itaque modo Deus voluerit mortificare ho-
minem: nemo eſt, qui ipſum poſſit prohibere vel impedi-
re. Facit enim quæ vult. Eſa. 46. in fine.

2. Sed idem viuificare poteſt, quacun-
que ratione mortuos enim in vitam poteſt reuocare, vel
mediate, vel immediate. Vt patet exemplo eorum qui re-
uixerunt.

Vt filius Sareptanus, 1. Reg. 7. & Sunamiticus 2. Reg. 4.
v. 31. Et miles ille Moabiticus 2. Reg. 13. vers. 21. Oſa. ari-
da. Ezech. 37. v. 10.

Deinde ſpiritualiter mortificatos lege viuificare poteſt
per ſuauiſſimam Euangelii concionem, vt quaſi reuiuifi-
cant ſpiritu Pſa. 71. v. 20. Viuificasti me. Hic enim viuifi-
care pro conſolari & recreare accipitur: de quo Pſal. 85. v.
7. & 119. v. 107. Sic viuificatur Hiſkia Eſa. 38. v. 16.

Tertio

Terrio. Etiam afflictos recreans viuificare dicitur, cum cessat affligere. Ose. 6. v. 3. Viuificabit nos post tres dies. In medio annorum, id est, antequam pereant, viuificasti: Hab. 3. v. 2. Vbi statim sequitur: Recordatus es misericordiarum tuarum.

3. Sic etiam percutere dicitur Dominus, aut vulnerare, si quando morbis, aut aliis calamitatibus, vel etiam tentationibus grauioribus premit. Esa. 1. quid ultra percutiam? Leuit. 26. v. 24. Percuciam te septies propter peccata. Sic percussisse dicitur ossa. Psal. 31. v. 10. & Psal. 6. v. 3. Sic corda contrita & conculsa dicuntur. Psal. 147. vers. 3. & 51. v. 19.

4. Quos vero ipse percussit, mox sanare rursus potest: quod tum fit, quando aufert istas calamitates & tentationes, & pristino fauore complectitur poenitentes. Ose. 6. v. 1. Percussit & sanabit nos. Joh. 5. v. 18. Ipse vulnerat & medetur: percutit & manus eius sanabunt.

Sic dicitur sanare infirmitates nostras, Psal. 103. v. 3. Psal. 6. v. 3. Sana me Domine. Psal. 30. v. 3. Sanasti me Psal. 41. v. 5. Sana animam Psal. 147. v. 3. Sanat contritus corde.

5. Quod si quem impium morti tradere & percutere, non autem rursus viuificare & sanare voluerit, nemo ipsius potentiae resistere, & de manu eius eruere potest. Habet enim omnes in sua manu, tanquam sigulus lutum. Esa. 29. v. 15. & 45. v. 9. Ier. 18. v. 6. Huc pertinet etiam illud Es. 14. v. 26.

L O C I.

I. Docemur in manu Dei esse vitam & mortem, perniciem & salutem. Et quem ille viuum atque saluum vult, hunc nemo occidere aut perdere poterit. Vicissim quem ille voluerit perditum & interemptum, hunc nemo viuificare, aut viuum conseruare, nec è manu illius eruere poterit:

Facit hic locus, ne timeamus homines magis quam Deum Matth. 10. v. 28. Nolite timere ab iis, Psal. 56. v. 12.

C 2

Quid

Quid faciat mihi homo? Rom. 8. vers. 31. Si Deus pro nobis? Deus ergo timendus.

Iuxta monentur securi, non posse ipsos vitam vel fortunam suam conseruare (quibuscunque conentur mediis id facere) si Deus ipsos velit perdere. Vide grauem Dei sententiam aduersus securos & superbos, Obad. vers. 4 & Amos 9. vers. 2. & seq. & Hier. 49. vers. 16. *Ja wann sie meynen sie sigen Gott im Schoß darinnen.* De Iechonia dicit, si esset annulus in digito meo, abiciam. Ier. 22. vers. 24. Itaque humilient se sub potenti manu Dei: nec quicquam tentent contra ipsius voluntatem. Non enim valet consilium. Prou. 21. v. 30.

N. Consolatio magna proponitur in his verbis, quod Deus non tantum vult occidere & vulnerare: sed etiam viuificare & sanare. Imo vt viuificare & sanare possit, interdum prius occidit & vulnerat. Et agit more medicorum & chirurgorum, qui ferro interdum aut igni secant vel vrunt, vt sanare possint. Huc videntur spectare ea quæ 1. Sam. 2. v. 6. & Hiob. 5. v. 18. & Ose. 6. v. 1. extant.

Nemo itaque vulneratus, mortificatus &c. desperet: sed sciat hanc esse viam ad viuificationem & sanitatem. 2. Cor. 6. Corrupti non occisi. Et 2. Corin. 4. vers. 8. Non desermur.

FINIS.

THEMA. XV.

Deut. 33. v. 29.

Beatus es tu Israel, qui similis tibi? Popule qui saluaris in Domino: scutum auxilii tui, & gladius gloriae tuae.

DISPOSITIO.

Cum Moyses, propediem moriturus, singulis tribubus Israelis benedixisset, (sicut solebant pii Patriarchæ facere erga suos liberos, ante mortem, vt Gen. 27. & Gen. 49) tandem concludit suas benedictiones, hoc generali ephiphonemate, in quo beatum prædicat Israelcem, cui
nulla